

A. Ω.

De

MARTYRIO  
PHILOSOPHI  
DISPUTATIO,

Quam

DIVINĀ ANNUENTE GRATIA,

Et

Suffragio Ampliss: Facult: Philosophæ

In Reg: Acad: Aboëns.

Sub PRÆSIDIO

DN. M. CHRISTIERN.

A L A N D R I,

Eloqv. Profess: Præceptoris & Promo-  
toris sui maximè colendi,

PRO GRADU MAGISTERII,

Publicè discutiendam modestè exhibet

ERICUS Z. DUSEMANN

Wib.

In Auditorio Maximo,

Ad diem 22 Septemb. 1706.

---

Exc. JO. WALLIUS.

Reverendissimo in CHRISTO  
Patri ac Domino

DN. PETRO LAUR.  
B E C C H I O,

S. S. Theologiae DOCTORI Cele-  
berrimo, Diœcelesos Wiburgensis  
EPISCOPO Eminentissimo, Con-  
sistorii Ecclesiastici ibidem PRÆ-  
SIDI Gravissimo, Regii Gymna-  
sii & Scholarum EPURO Ampli-  
simo, Patrono & Mæcenati  
maximo.

*Viris itidem,*

Adm. Pl. q; Reverendis & Clarissi-  
mis, DN. ARCHI-PRÆPOSITO, cæ-  
terisque DNN. Reg. Gymn. Wib.  
LECTORIBUS & CONSISTORIALIBUS,  
jugi observantiæ cultu pro-  
sequendis,

OMNIGENAM CUM CORPORIS TUM  
ANIMÆ PROSPERITATEM!

**L**icet meæ obligationi,  
quâ REVERENDISSIMÆ  
TUÆ PATERNITATI, CÆ  
terisque prænomina-  
tis Dnn. EVERGETIS sanctè devin-  
ctus sum, non possit dedicatio hu-  
jus disputationis vel ex parte sal-  
tem satisfacere; interim tamen,  
ut aliquo modo & pro virium ra-  
tione meum debitum coner ex-  
sequi, tantum sum si audaciæ, ut hac  
quoque occasione aliquod grati  
animi specimen ostenderem, qui  
in servis vestris sum, eaque be-  
nignitate continuò me affectum  
tulerim, quâ mihi non exile sub-  
levamen ipse dudum hæusi; facite  
ergo, quæso, has pagellas conspe-  
ctu Vestro dignas, benignoque  
vultu & serenâ fronte eas excipite,

ne frustrer eâ spe, quâ in vicem  
Vestri favoris hoc quantumcum-  
que mei debiti monumentum,  
vobis ivi consecratum. de cætero  
felices vivite! sic intimè precatur

REVERENDIS: TUÆ PATERNITATIS  
&

ADM. PL. q̄ REV: & CLARIS: DNN. LEGI:  
& CONSIST:

*Devotiss. & observantiss. cultor*

*E. Dahlman.*

*Ad Clarissimum & amicissimum Virum,*

DN. ERICUM DAHEMAN/  
Consistorii Wiburgensis Notarium &  
Phil: Candidatum dignissimum, cum de  
MARTYRIO PHILOSOPHI disputaret.  
Domine.

**S**rupent omnes civiliores populi illam Ju-  
dæorum sinisteritatem & pervicaciam  
dum mille martyria sufferre vel ut est in  
אלף מותו זה אחר זה legere  
oppetere malunt quam pilum latum, in qui-  
busdam indifferentibus etiam, cuiquam ut con-  
cedere velint. Longe aliter Cicero: nunquam  
præstantibus viris laudatam fuisse in unâ sen-  
tentia perpetuam persionem probat. Medi-  
am quandam in Philosophicis quam juvat in-  
gredi viam tute doctâ hæc commentatione  
munire aggredieris Domine DAHEMAN:  
quod nec semper pendere animi nec ob quam-  
cunque fidem uncus & Gemonias invocare  
deceat edocens: meritas autem Tuas laudes  
hic non refert scribere: nec esse mihi hæc vice  
diserto vacat: erit, Tibi, quod loquitur ipsum  
opus, sanctius, ob quod indubitatus Tibi à do-  
ctis honor tributum itur, Vale!

T. E.

CHRIST: ALANDER:

Disputationem eruditam

Clarissimi CANDIDATI

DN. ERICI DAHLMAN S.

Ven: Consist: Wiburg: Notarii perin-  
dustrii,

De MARTIRIO PHILOSOPHI.

**I**mmensum quantum mortalia pectora vexat  
 Veri sacra fames, quam parit artis amor,  
 Id nostri querunt, id questivere priores,  
 Non tamen una via est, nec modus unus  
 erit.

Hinc tam diverse secta & contraria dicta,  
 His ait ille negat, fallat uterque licet.  
 Huic placet ex animo sententia cepta teneri,  
 Et sic germanam se reperisse putat.  
 Sponte sua letho caput obuius offeres ipse,  
 Si veram verbis esse negare velis.  
 A sanis longum cedit dementia tanta,  
 Non placet: Hic Martyr non nisi stultus eris.  
 Plenius ut Dahlman monstrare hec singula  
 cepit,  
 Mox capiti ferrum Diva Minerva parat.

DANIEL SIRENIUS.



## MEMBRUM I.

**N**e quenquam inscriptio hujus disputationis offendat propter novitatem, quam in hoc loco sapere videtur vox martyrii, operæ pretium duco nonnihil in frontispicio de illa monere; quod quantumvis ecclesiastica sit & primò his vindicata reperiat, qui in initio Ecclesiæ Christianæ pro fide sub implis gubernatoribus mortem intrepide adierunt, qui confessores sive martyres inde, purpurati & coronati passim dicuntur in catalogo Martyrum, ut licet videre apud Paulum Aringhum in Româ subterraneâ & alios; non incommode tamen ad alias res quoque cum difficultate & cruciati junctas etiam citra periculū vitæ transferri posse, ipsa vocis natura palam facit: Unde forte factum etiam est ut

verbo suo, *Martem*/ tam latè Germani  
 uti cœperint, pro qualitercunque affli-  
 gere, & nos etiam non solum de homi-  
 nibus crudeliter affectis, sed vermibus  
 etiam & aliis irrationalibus dicere idem  
 solemus: quemadmodum *pistrinum* non  
 solum illum locum indicat ubi exercen-  
 tur operæ *pistrienses* sed pro quovis lo-  
 co, ubi pœnæ infliguntur vel aliàs, do-  
 lores sufferuntur, metaphoricè sumitur.  
 Quod autem *Martyrium Philosophi* vel  
*Philosophicum* nominare auderem, sva-  
 sit auctoritas magni Patris Hieronymi,  
 qui in epistola 25., *Philosophiæ* mar-  
 tyrem vocat *Cleombrotum Ambracio-*  
*tam*, quod cum nihil ei accidisset in  
 vita adversi, lecto Platonis de immor-  
 talitate animi, libro, se de muro præci-  
 pitavit in mare: inde jam à Hieronymo  
*stultæ Philosophiæ martyr* dictus est.  
*Martyr* autè propriè testè notat. Sed *Chri-*  
*stianis* sic peculiariter dicitur, qui non ore  
 tantùm, sed & sanguine veritatè cœlestem  
 testatam facit. Hinc *Martyrium*, *Μαρτύρι-*  
*ον*, quod altare impositum cineribus



Martyrum significat, Latinè *Confessio* dicitur. Nam prius, qui Græcavoce *Martyres* dicti sunt, Latinis *Confessores* vocabantur. Postea hæc vocabula distinxerunt. Ex his liquet, cur *Ecclesias*, in quibus *Martyrum* reliquiae essent, *Martyria* appellerent. Sed *συμμεδοχικῶς* post quælibet *Ecclesia*, cuicumque *Sancto* dicata, *Martyrium* vocari cœpit. Ita usurpat Hieronymus in Hilarione: *causam occultandi, juxta præceptum Antonii, fuisse referentes, ne pergamus, qui in illis locis ditissimus erat, sublato ad villam suam Sancti corpore, Martyrium fabricaret.* Vid: Scaligerum ad annum Eusebii MM. CCC. LXXX. VI. aliàs verbum *μαρτυρέω* non solum accipitur pro testor, sed etiam pro significo, declaro, nec non cruciatu in Martyrio afficio. Sic in fine prologi Græci ad Epistolas Paulinas est titulus ΜΑΡΤΥΡΙΟΝ ΠΑΤΛΟΥ ΤΟΥ ΑΠΟΣΤΟΛΟΥ; & iterum: *ἔστιν ἔν, ὁ πῶς χρόνῳ ἐξ ἑμαρτύρησιν τετακῶσα τετακῶσα ἔτη μέχρι, τῆς πειρασῆς ταύτης ὑπαίτιας.* Mens autem hujus Disputationis est: An Assertiones

Philosophicæ sint tantæ certitudinis, ut pro illarum veritate quis velit cruciatus in se deposcere, & mortem oppetere, & an tranquillare conscientiam sic potuerint unquam in moralibus, ut Philosophi veteres causam justam habuerint tantum suæ Philosophiæ tribuendi quantum tribuerant.

## MEMBRUM II.

**D**E certitudine naturalis scientiæ multa veteres & recentiores animo descripserant & tradiderant, inter quæ hocce est effatum à summo Philosopho juxta atque Theologo D. Calovio in Gnost: cap. 3. Can: 4. approbatum, videlicet scientiam reddere animum hominis ἀμείνων & ἀμετακίνητον, ut sic ad scientiam requirantur duo: ut scilicet sit certa in se, & hoc non solum sed etiam certa intellectui apprehendenti. Prior certitudo, objecti, altera subjecti, non malè meo judicio dici posset. Objecti certitudo inde provenire potest quod scientia procedat ἀπὸ δεικτικῶς & de  
ob-

objecto probet attributa per veras & proximas rationes a priori, habeatque objectum necessarium. Verum de certitudine hujus scientiæ, quæ est habitus per causas demonstrativus non jam tantopere quæro, quam de certitudine unius cujusque propositionis in cognitione humana, utpote in practicis etiam ubi requisita illa habitus scientifici non ad eò apparent, & transcendentalibus, ubi non a causis & essentiali nexu attributi cum subjecto, sed primis principiis veritas effati suspenditur. Equidem prima principia tum contemplativa tum practica evidentissima esse sciunt & fatentur omnes quibus nemo nisi amens vel cui ferreum sit canis os contradicere ausit & velit, interim tamen an illa sint firmissima & primæ veritatis quæ a nostris Philosophis talia habentur, & non alia sint evidentiora, & proinde expunctis prioribus in illorum locum inferenda, extiterant qui quærendum arbitrati sunt & postquam quæsiverant, nobiscum divorcium fecerant. Adeo ut

neque hoc fulcrum omnis veritatis, prima scilicet principia, omni tempore licet æterna super basi sit fundatum, inconcussum relictum sit. cognitionem quippe humanam semper formido & opinio vult comitari. Cum his quæ dicta sunt facit D. Calovius Gnost: Cap: 7. Can. 5. inquit. *Objectum assensus est vel primum principium vel conclusio. Istud evidens est, hujus verò ex principiis diuèctio non semper evidenter perspicitur ab intellectu, quare hic potissimum error contingit, qui adscribendus est simplici mentis imbecillitati; quod si verò error sit circa principia, ille fluit ex ignorantia affectatâ vel sophisticâ malitiâ.* Principiis practicis promptissimus debetur assensus cum summa insit certitudo, sed cum in iis quæ creatorem colendum dicitant, apud nos qui Christiani sumus & à sacra Theologiâ illuminati Philosophi, certitudo non tam sit à ratione, quam scriptura, dubium etiam evadit an quod turò iis assentimur certitudini rationis & non potius infallibilitati S. Scripturæ, adscribendum sit.

Si quid unquam verè scitur, illud ma-  
 thematicum esse scibile docti omni ævo  
 statuerant, sed ut appareat quam etiam  
 hæc certitudo vocata sit aliquando in  
 dubium, liceat quæso adscribere, quæ do-  
 ctissimus habet Huerius observata ex a-  
 liis in Demonstrat: Evang: Axiom: 4.  
 Certitudo Mathematica videtur quidem  
 maxima, sed vel sola, ait, Geometrarum al-  
 titrationes indicant, eoque sit illorum Princi-  
 piorum sc: Geometricorum ἀναπαρτοία. In-  
 finitis controversis oppugnata fuisse non ne-  
 gat horum assertor Proclus. \* Pleraque desi-  
 derari, præter ea, quæ ab Euclide assumpta  
 sunt, atque hæc in exemplum tantum fuisse  
 proposita, Geometra quidam tradiderunt. De  
 Postulatorum & Axiomatum discrimine ma-  
 gna inter ipsos concertatio est. Discrepare ea  
 inter se censuit Geminus, ut Problemata à  
 Theorematis. Postulata Geometrie propria es-  
 se volunt quidam. Axiomata verò Commu-  
 nia esse disciplinarum, quæ circa quantum &  
 circa quorum versantur. Aristoteles postulata  
 vult esse, quæ cum ab audiente non statim

con-

\* Procl. lib. 3. in Euclid.

concedantur & demonstrari possint, ut Principia tamen admittantur; Axiomata vero, quae demonstrari non possint. Unde sequitur Axiomata non esse quae Euclides proposuit, quippe quae ab Apollonio Pergaeo, eo qui ob insignem artis peritiam magnus Geometra dictus est, assumptis aliis Principiis universa demonstrata sint. Proindeque Principia nulla sunt, cum ex Philosophorum, Geometrarumque consensu ἀναπόδεκτα esse debeant: quod saepius iterat Proclus, & disertè testatur Plato his verbis: \* ἀρχὴ δὲ ἀγέννητος. Ἐξ ἀρχῆς γὰρ ἀνάγυνη πᾶσι τὸ γινόμενον γίνεσθαι, αὐτὴν δὲ μηδ' ἐξ ἑσῶς, ἐς γὰρ ἔχ τὴ ἀρχὴν γίνεσθαι, ἢ ἐν ἀρχῇ ἐγένετο. Principium autem expers est originis: ex principio siquidem, quidquid oritur, oriri necesse est; ipsum autem ex nihilo. Nam si ex re aliquâ oriretur principium, principium utique non esset. Adversus Geometrarum Postulata uti possumus hoc argumento, quae universas ipsorum Hypotheses Sextus Empiricus scitè & argutè confutat: \*\* Quae postulata, vel fieri possunt, vel non possunt; si fieri

\* Plat. in Phedr. \*\* Sext. Emp. adv. Mathematicos libr. 3.

possunt, cur jure tuo non uteris, & quæ vi  
 obtinere poteris precibus impetrare mavis?  
 si fieri non possunt, cur iniqua postulas, &  
 tibi à me concedi vis, quod nec in mea, nec in  
 tua potestate est? culpam? Euclidem Geminus  
 & Proclus, quod inter Postulata rescripserit  
 quæ poterant demonstrari, nempe Principia ab  
 illo credita sunt, secus ab istis. Culpam iè  
 quodam Apollonium, quod Axiomata demon-  
 strare sit aggressus, quæ erant aza nòdextra.  
 Ex his colligitur incertam esse Postulatorum  
 & Pronuntiatorum notitiam & numerum.  
 Plura legi possunt in hunc sensum, apud  
 laudatissimum auctorem Loc. cit. si er-  
 go hæc certitudo quæ summa habe-  
 tur & quidem merito; sic erat doctorum  
 hominum aliquando ventilationibus ob-  
 noxia, quid miramur si effatis quibus-  
 dam inferiorum & thecnicarum Scien-  
 tiarum minus audacter assensum præ-  
 bebimus cum innumeris aliquando limi-  
 tationibus, cautelis & exceptionibus  
 munienda sint; si possint stare. E. g.  
 Canones quidam Logici ut muri Se-  
 miramidis firmi videntur, utpote; Actio

omnis suscipitur propter finem. Omnis causa est scientia. Forma non variatur gradibus. sed quantum sudandum sit ut vindicentur à mendacii Suspicionem, videri potest apud Honold: in Can: Log: Dan: Stahl: & alios. Adhoc Sophisma, coelum tegit omnia, ergo se ipsum tegit, benè, responderi creditur per Canonem hunc Logicum: Quando universaliter aliquid de subjecto singulari dicitur, excipitur à prædicato subjectum: atqui ex hoc Canone illud tamen sequitur quod est à ratione alienum videlicet; Sapiens novit omnia, ergo se ipsum non novit, nam juxta canonem excipiendum est à prædicato subjectum.

### MEMBRUM III.

Postquam certitudinem scientiæ naturalis sic qualitercunque expendimus, de his aliqua dicenda sunt, qui stultè adeò sapuerunt, ut nihil unquam pro certo habuerint intota sua Philosophia: Hi Pyrrhonii, & græco cognomen-



τὸ σκεπτικοὶ & ἐπισκεπτικοὶ appellabantur  
 latinè quæsitores & consideratores di-  
 ci possent, cum nihil decreverint aut  
 constituerint in quærendo semper con-  
 siderandoque occupati, quidnam esset  
 omnium rerum de quo decerni consti-  
 tuique posset. Hi se putarunt carere vi-  
 su & auditu, & tamen pati & affici,  
 quasi videant vel audiant. eaque ipsa,  
 quæ affectiones istas in sese effecerant,  
 qualia & cujusmodi essent, cunctaban-  
 tur atque insisteabant, omniumque rerum  
 fidem veritatemque mixtis confusisque  
 signis veri atque Falsi ita inrensibilem  
 videri aiebant, ut quisquis homo est  
 non præceps neque iudicii sui prodi-  
 gus, his uti verbis debeat, quibus au-  
 ctorem Philosophiæ istius Pyrrhonem  
 esse usum tradunt: *ἔ μάλλον ἔτιως ἔχει τόδε  
 ἢ ἐχέινο; ἢ ἔδειτέρως.* Quemadmodum eti-  
 am mirum in modum disputat Epict:  
 in Enchir: Cap: 22. iudicia enim rei  
 cujusque & sinceras proprietates negant  
 in scriptis suis posse nosci & percipi;

idque ipsum docere atque ostendere  
 multis modis conantur super quâ re  
 Favorinus quoque subtilissimè argutis-  
 simèque decem libros composuit, quos  
*πυρρωναίων πρόπων* inscribit, ut ait Gell; Vetus  
 autem quæstio & à multis Scriptoribus  
 Græcis tractata est. in quid & quantum  
 Pyrrhonios & Academicos philosophos  
 intersit. Utrique enim *σκεπτικοὶ, ἐφευκτικοὶ,*  
*ἀπειρητικοὶ* dicuntur; quoniam utrique ni-  
 hil affirmant, nihilque comprehendi pu-  
 rant. sed ex omnibus rebus proinde visa  
 fieri dicunt, quas *φαντασίαις* appellant: non  
 ut rerum ipsarum natura est, sed ut  
 affectio animi corporisve est eorum, ad  
 quos ea visa perveniunt. Itaque omnes  
 omninò res, quæ sensus omnium mo-  
 vent, *τῶν τοῦ ἑστί* esse dicunt, id verbum  
 significat, nihil esse quicquam quod ex  
 sese constet, nec quod habeat vim pro-  
 priam & naturam, sed omnia prorsum  
 ad aliquid referri; taliaque videri esse,  
 qualis sit eorum species dum videntur,  
 qualiaque apud sensus nostros, quò per-  
 venerunt, creantur; non apud sese, unde  
 pro-

profecta sunt. Quum hæc autem consimiliter tam Pyrrhonii dicant quam Academici: differre tamen inter sese & propter alia quædam, & vel maximè propterea existimati sunt, quod Academici quidem ipsum illud nihil posse comprehendere, quasi comprehendunt, & nihil posse decerni, quasi decernunt: Pyrrhonii ne id quidem ullo pacto videri verum dicunt, quod esse verum videtur; Et hanc quidem viam perveniendi ad verum non omnino saniores Philosophi repudiant si dubitationi terminus ponitur & animo non permittitur in æternam ut sit μετέωρον & suspensus: hac enim ratione sæpius nobis citatus. D. Calovius *ἀμφοτέρων* dicit esse viam ad *ἐπιπέραν*: & Gnost: cap. 2. Can. 2. ait: in aliquibus fas esse ἴσιν ἐπέραν, & de non nullis erudite dubitare.

#### MEMBRUM IV.

Propius autem accedentes ad Propositum, operæ pretium ducimus aliquid  
quid

quid etiam esse differendum de consolatione philosophica quomodo, hæc poterit tranquillare animos, ut summi viri hæc utentes tutò & intrepidè mortem adierint, ut Brutus, Socrates, & innumeri alii. De hac agit ex professo Boetius, ubi refert, quomodo Philosophia sub specie mulieris apparuerit sibi oppresso, ac Mulas fugaverit, quæ, ab illo agnita, eum exemplo sapientum virorum simili discrimine oppressorum consolata est; quippe luctanti Boëtio succurrebat hisce verbis: *sed abite potius Sirenes usque in exitum dulces, meisque eum Musis curandum, sanandumq; relinquit.* His ille chorus increpitus dejecit humi mæstior vultum, confessusque rubore verècundiam, limen tristis excessit. Haud aliter quam tristitiæ nebulis dissolutis, hausit cælum, & ad cognoscendam medicantis faciem, mentem recepit. Itaque, ubi in Philosophiam deduxit oculos, intuitumq; defixit, respexit, nutricem suam, in cujus ab adolescentia

Laribus versatus fuerat; Et quid, inquit,  
 tu in hac exsiliū nostri solitudines, O omnium  
 magistra virtutum, supero cardine delapsa ve-  
 nisti? an ut tu quoque mecum rea falsis  
 criminationibus agiteris? An inquit illa, te,  
 O alumne, desererem, nec sarcinam, quam mei  
 nominis invidia sustulisti, communicato tecum  
 labore partirer? Nonne apud veteres quoque,  
 ante nostri Platonis aetatem, magnum saepe  
 certamen cum stultitiā temeritate certavimus?  
 eodemque superstite, praeceptor ejus Socrates  
 injuste victoriam mortis me adstante pro-  
 meruit? Quod si nec Anaxagorae fugam, nec  
 Socratis venenum, nec Zenonis tormenta, quo-  
 niam sunt peregrina, novisti; at Canios at  
 Senecas at Soranosque nec per vetusta, nec  
 incelebris memoria est, scire potuisti. Itaque  
 nihil est quod admirere, si in hoc vitae saelo  
 circumstantibus agitemur procellis, quibus  
 hoc maxime propositum est, pessimis displice-  
 re. Pro vera virtutis praemio falsi sceleris  
 penas subimus. Et cujus umquam facinoris  
 manifesta confessio ita iudices habuit in se-  
 deritate concordēs, ut non aliquos vel ipse  
 bu-

humani error ingenii, vel fortunæ conditio  
 cunctis mortalibus incerta summitteret? si in-  
 flammare sacras ædes voluisse, si Sacerdotes im-  
 pio jugulare gladio, si bonis omnibus necem  
 struxisse diceremur, præsentem tamen senten-  
 tia confessum, convictumve punisset. Nunc  
 quingentis ferè passuum millibus procul moti  
 atque indefensi, obstudium propensus in Se-  
 natum, morti, proscriptionique damnamur.  
 O meritos, de simili Crimine neminem posse  
 convinci! cujus dignitatem reatus ipsi etiam  
 qui detulere, viderunt: quam, uti alicujus  
 sceleris admisione fuscarent, ob ambitum  
 dignitatis sacrilegio me conscientiam polluisse  
 mentiti sunt. Atqui & tu insita nobis, omnem  
 rerum mortalium Cupidinem de nostri animi  
 sede pellebas, & sub tuis oculis sacrilegio  
 locum esse fas non erat. instillabas enim auri-  
 bus cogitationibusque quotidie meis Pythagor-  
 icum illud, ἕκαστον. Nec conveniebat dilis-  
 simorum me spirituum præsidia captare, quem  
 tu in hanc excellentiam componebas, ut Consi-  
 milem Deo faceres. Ut ut autem ex phi-  
 losophia consolationem & tranquillita-  
 tem

rem animi etiam reliquarum sectarum  
 Professores se habituros esse sperabant,  
 potissimum tamen eâ gloriari sunt, Stoici  
 qui oris & vultus serenitatem putabant  
 nullâ unquam posse ægritudine obnu-  
 bilari ut videre est apud Gellium Noct.  
 Attic. lib. 1. Cap. 2. Erit enim verus  
 & sincerus Stoicus ut citato loco le-  
 gere est, ἀκάλυτος, ἀνεκβίατος, ἀπειρη-  
 πιδίς, ἐλέυθερος. εὐπορος, εὐδαίμων.  
 quamobrem neque in Phalaridis tauro  
 animositarem suam posse frangi jacta-  
 runt: quam animi constantiam ex a-  
 trocitate hujus cruciatus æstimare pos-  
 sumus: Phalaris enim Agrigentinarum  
 tyrannus, præter cætera novorum sup-  
 pliciorum tormenta taurum habuit æ-  
 neum Perilli vel Perilai cujusdam arte  
 fabricatum, in quem immissi damnati,  
 igne subiecto bovis mugitum edebant,  
 cujus inventi nomine cum artifex non  
 leve munus sperasset jussu tyranni in tau-  
 rum injectus, primus artis specimen  
 præbuit. Tali fuit constantia Aristippus  
 in periculosa illa navigatione una cum

Gellio, quippe in summo periculo man-  
 sit extrilidus licet coloris & vultus tur-  
 batione non multum à cæteris differ-  
 ret; quam vultus turbationem ideo eti-  
 am Philosopho accidere posse ajunt, quia  
 visa animi quas *φαντασίαι* Philosophi  
 appellant, quibus mens hominis, pri-  
 ma statim specie accidentis, ad animum  
 rei pellitur, non voluntatis sunt neque  
 arbitraria, sed vi quadam sua inferunt  
 se hominibus; noscitur autem probaciones  
 autem, quas *συγκαταθέσεις* vocant, qui-  
 bus eadem visa noscuntur ac dijudican-  
 tur voluntariæ sunt fiuntque hominum  
 arbitratu: Sapiens vero, ajunt, & *συγκα-  
 ταθέσεις* sed statum & vigorem animi re-  
 tinet: inde est apud Epict: in Enchi-  
 ridio: *Θαράσσει τὰς ἀνθρώπους ἢ τὰ περὶ  
 ματα, ἀλλὰ περὶ ματῶν δόγματα*: Non ter-  
 rent homines res ipsæ, sed opiniones  
 de rebus conceptæ. Fatendum autem  
 est talem Constantiam philosophum  
 quemvis maxime decere, cum sciat  
 omnem actionem suscipi debere pro-  
 pter finem, metum autem inanem  
 esse



esse mentis cruciatum, nec posse imminencia mala quâpiam ratione mitigare vel avertere. Dicimus porro philosophiam animos potuisse hâc ratione consolari, si juxta Philosophorum, de vita infanti præcipientium, statuta, vita instituebatur, de quâ, vitæ scilicet innocentia se multum consolationis animo suo, hausisse prædicant passim Cicero, Seneca, Plinius & alii, quod vero mortem etiam Philosophia freti & consolationibus philosophicis animum tranquillantes aggressi sunt intrepidè, & illud terribilium omnium maximum non formidaverint à quadam nimia persuasione, stupiditate, & partim Diaboli *πάροισι* provenisse putamus, nec inde adhuc sequitur ullum sanum posse stultum philosophiæ martyrismum, morte voluntariâ suscipere.

## MEMBRUM V.

Sed ut adhuc fiat clarius quid in præsentis negotio statuendum sit, accuratius despiciemus de certitudine  
Sien-

Scientiæ, quæ procedit à veris causis,  
*Subiecto, affectionibus & principiis*, quibus  
 fulcris suas assertiones philofophi solent  
 stabilire; sed cum vox scientiæ fit sub-  
 jecta variis acceptionibus, adeò ut nunc  
 opponatur *ignorantia*, quâ scimus ea,  
 quæ quocunque modo nos non latent.  
 Nunc *opinionis*, quâ ita alicui rei assenti-  
 mur ut etiam aliter possit se habere. Nunc  
*arti*. quâ scientia est habitus habens pro  
 fine ultimo *γνώσις* vel *πράξις*. Nunc  
*Disciplinis practicis*. Nunc *sapientia & in-*  
*telligentia*. Nunc *fidei*. Quâ de re videat-  
 tur Scheibl. Lib. Sent. Itaque vix talem  
 parit certitudinem scientia philofophica,  
 quæ rationem fidei sibi induat & homini  
 possit perlvadere, ut de salute sua certus  
 sit, quod satis apertè docet suo Exem-  
 plo Cicero, acutissimus philofophorum  
 in hac quæstione, dum valdè de statu  
 suo post hanc vitam disputat, ut vide-  
 re est in Lib. 1. quæstionum Tuscul: ad  
 finem: sic enim ait: *si supremus ille dies*  
*non extinctionem sed commutationem afferet*  
*leci, quid optabilius, sin autem perimit ac*  
*delet*

*delet omnino; quid melius quam in mediis  
 vite laboribus obdormiscere, Et ita conniven-  
 tem somno consopiri sempiterno. Quoniam  
 Philosophus, quatenus Aristotelis disci-  
 pulus, salutis ignarus est, sed quatenus  
 Theologiâ illuminatus, benè gnarus.  
 à quo proinde terminorum saltē exe-  
 gesin accipiens, ex suis deinde princi-  
 piis suum de re superaddet iudicium.  
 Philosophus nisi dispiciat, animoque  
 sua benè perlustret principia, magna  
 heic eorum parte periclitabitur & re-  
 cta nisi viâ cautè incedat, vel optima  
 etiam deperdet. Quoniam autem &  
 res certa esse potest & intellectus cer-  
 tus in suis actibus, duplex inde certitudo  
 nascitur, ut supra, etiam ex parte ob-  
 servavimus, una objecti, altera actuum in-  
 tellectus. Certitudo objecti, quâ res dicitur  
 certa, cum actu est extra suas causas.  
 Quia enim omne quod est, quando  
 est, necesse est esse; necessitas illa cer-  
 titudinem infert, eò quod effectus per  
 eam determinatur ad unum. Addo ta-  
 men, certitudo & infallibilitas sunt  
 pro-*

proprietates actuum intellectus, adeo-  
 que objecta nec sunt certa propriè nec  
 infallibilia, sed contingentia aut necessa-  
 ria: vulgò autem vocantur certa, quia  
 sunt mensura & fundamentum certitu-  
 dinis intellectualis. *Certitudo autem a-*  
*ctuum intellectus, est determinatio intellectio-*  
*nis ad verum ut verum, ita ut ille actus ex*  
*naturâ sua non possit à veritate disjungi.*  
 & est determinatio intellectio-  
 nis, quando  
 actus non potest esse falsus vel propter  
 motivum & rationem formalem, ut cum  
 dico; Petrus ridet, quia illum video  
 ridere, vel quando principium activum  
 est tale, ut non possit elicere actum fal-  
 sum. Unde res certa dicitur cum ad u-  
 num determinata est, incerta autem, cum  
 nullam habet determinationem, sed in-  
 differens est ad esse & non esse, qualis ex  
 se omnis, quæ in potentia est & futura. Et  
 actus certus dicitur, cum determinatio  
 ejus orta ex eo, quod fit à principio vel  
 motivo impotenti errare: incertus autem,  
 si non determinatur ad veritatem, vel

ex suo principio, vel ex suo objecto, sed ex alio erroris capaci: addo certitudinem esse quandam *ἐκ τοῦ αἰσθητέου* quæ adhæ-  
sionis est aliàs & voluntatis, per quam cognoscens aut non vult, aut non pot-  
est objecto dissentire vel propter illius evidentiam, vel ob affectum voluntatis, ut  
cum fidelis certus est, vitam profunderè potius quam fidem negare, vel quando ex  
pravâ dispositione hæreticus suo adhæret errori, vel cum quis amici non vult  
deserere sententiam. Quæ certitudo ex firma voluntate pendet in casibus  
evidentibus, in cæteris evidentia, ne-  
cessitat intellectum independentem à vo-  
luntate.

## MEMBRUM VI.

Præmissa docent neminem oportere  
martyrium suscipere propter Philo-  
sophiam, & in causa quâvis frivola  
mortem contemnere & depasci, ut  
cum Terentio loquar: Ethnicum enim  
illud & impium foret Sen: Ep: 4: A-  
lius ante amicæ fores laqueo pependit:  
alius:

alius se præcipitavit è tecto ne domi-  
 num stomachantem diutius audiret :  
 alius ne reduceretur è fugâ ferrum ade-  
 git in viscera. Sit autem utcunq; cer-  
 tum philosophicum scibile, manet ta-  
 men verum: omnem hominem esse men-  
 dacem & omnem cognitionem huma-  
 nam erroris suspectam. Martyrum qui-  
 dem fortitudo summe laudanda est; illa  
 sed non à philosophia pendet, & ma-  
 jor est, quam illorum qui in bello pro  
 patria dimicando fortiter occumbunt.  
 idque ob sequentes rationes, quas Ven-  
 delinus exhibet. (a) Quia martyrum  
 mors, bellicam acerbitate sua longissi-  
 me superat; cum in multas non tantum  
 horas, sed & dies sæpenumero excru-  
 cientur, exquisitissimis tormentorum  
 generibus per Tyrannos excogitatis.  
 (β) quia in martyrum tormentis spes  
 evadendi est nulla; mortem vident præ-  
 sentissimam, evadendi locum & viam  
 nullam, quam per vim ne quærunt qui-  
 dem. Unde cum Polycarpum combu-  
 rendum clavis affigere carnifices sta-  
 tuir;

tuissent: *Nihil opus est, clavis, inquit ignem  
 sponte sustinebo.* (γ) Quia in bellis resisti  
 potest iis qui mortem inferunt, habet-  
 que locum vindicta: In martyribus o-  
 mnia secus se habent. Satis apertum au-  
 tem est sic esse ut prius innui, hanc vide-  
 licet fortitudinem Martyrum non à prin-  
 cipio insito aliquo provenire sed virtutis  
 & consolationis divinæ esse opus: sic e-  
 nim e. g. de Donato Confessore refer-  
 tur quod novies tormenta & cruciatus  
 varios ob cælestem doctrinam passus  
 sit, quod etiam sex annorum carcere  
 detentus invictus manserit, sic quoque  
 de Huss refert Æneas Sylvius in Hist:  
 Boh: illum sic constanti animo necem  
 pertulisse ut quasi ad epulas invitatus  
 ad incendium properaverit, nullam e-  
 mittens vocem quæ miseri animi pos-  
 set facere indicium: quod hymnum  
 cecinerit quem vix flamma & fragor  
 ignis, intercipere potuerit, cuius eti-  
 am constantiæ nimis multi fuisse refe-  
 runtur in Catalogo martyrum, licet  
 illi omnes qui in Martyrolygiis canoni-

zantur ægre martyres in conspectu di-  
vino fuisse agnitos credere possimus;  
non enim pœna sed causa facit marty-  
rem: Præterea multi etiam præter ne-  
cessitatem neglecta propriæ essentiæ  
conservandæ cura, rei unicuique à na-  
tura indita, ob indifferentia quædam &  
maximam partem politica se tyrannis  
necandos objecerant. Si ergo hi parum  
digni sunt qui honorarium nomen mar-  
tyrum gerant quanto ineptiores ad  
hunc titulum videri debent qui ob quæ-  
dam altius concepta placita philosophi-  
ca mori non reculaverant. Unde autem  
illa fuerit in Philosophis morte instante  
constantia, docere vult Plutarch⁹ in tra-  
ctatu suo: *utrum in quo vitium sit ei nihil  
desit ad infelicitèr vivendum*: ostendens  
virtuosum & probum hominem sic esse  
constitutum ad intra ut dicimus, ut à  
nulla re quæ extra illum est possit læ-  
di: vitiosum vero talem esse ut intra  
se habeat omnia illa quæ ad affligendum  
& necandum sufficiunt. De Socratis con-  
stan-



stantia ibi etiam expressè dicit, illum scilicet veneni calicem hilarem & placidum intrepide nihil mutato colore vel æqvissimo ebibisse animo, & sic ille, quæ vivi beatum dixerunt expirantem, nec apud inferos sortis expers erat futurus divinæ. Quicquid verò dicat & quantumcunqve extollat Socratem vel Plato vel Plutarchus vel Cicero, nemo tamen credo velit eum martyrem dicere, quamvis causa ejus, ut ferunt, non fuerit mala. Habitus enim est atheus quod homines à dæmonum cultu abducere volebat, & accusabatur à quadruplatoribus Atheniensibus quasi qui peregrina dæmonia invehere volebat, quod unum esse Deum instillare iis studebat. De his autem Philosophis qui ob fidem de Deo uno Conceptam occisi sunt vel qui in illa fide sunt mortui, Patres non nulli & Ecclesiæ Doctores non malè sentiunt, scilicet Ethnicos illos qui crediderunt Deum esse creatorem omnium, remuneratorem colentibus illum, qui non vani facti sunt in ratiocinationibus, qui

qui non mutarunt 'gloriam incorruptibilis Dei in efformatam imaginem corruptibilis hominis, qui Deum glorificaverunt non paucos salvos fuisse. Sic etiā Pontificii Sinas non paucos in lege naturæ salvos factos fuisse sperari posse volunt, sed hujus rei judicium esto apud Theologos: nobis tantum reterre placuit. sed iterum de Socrate dicimus quod quamvis religionis causâ poculum venenatum hausit, non tamen eodem jure dici possit martyr quo Constantius qui fecit idem, ut videre est apud Aringhum Lib: 2. C. 20, huic enim in certam inferendam necem jubente tyranno ipsamet carnificum manu venenum propinatum est: quo is quidem evacuato Deo tamen protegente omnino liber evasit ut ex inscriptione patinæ alabastrinæ compertum est nimirum.

NON UNDA LETHALIS  
EST AUSA CONSTANTIFERRE  
QVAM LICUIT FERRO CORONAM  
Concludimus autem illos omnes qui  
vel ad stabiliendas quasdam veritates  
phi-

philosophicas vel aliàs rei frivolaè  
 causa propriam exitium quærunt,  
 graviter peccare, ob id etiam quod  
 aliis occasionem nimia audendi præ-  
 beant, nec illos bonâ aliquâ ratione dici  
 posse martyres. Solum autem verbum  
 DEI est, in quo mori licet & unicè ex-  
 pedit. Recedendum itaque ab iis qui  
 veritatem Philosophiæ in immensum  
 extollunt, adeo ut certitudinem fidei  
 illi etiam adjudicent; tales enim cum  
 Hieronymo stultæ Philosophiæ marty-  
 res non inconvenienter fortè quis nun-  
 cuparet. Atque sic quantum ad institu-  
 tum nostrum fuit, persecuti qualiter-  
 cunque sumus, nihil magis optantes  
 quam ut doctis & bonis id non  
 omninò displiceat.

LAUS ET GLORIA DEO  
 IN ÆTERNUM.

De.

*Clarissimo & meritissimo Phil. Candidato,*  
DN. ERICO DAHEMAN/  
suam *Pro Gradu Magisterii* disputationem  
defendenti hæc cecinit.

**P**ercelebres Danaum celebrantur, Jason,  
Ulysses,  
Hi quod præstiterint Bellis in fortia facta;  
Vellus surripuit Phryxi Galeatus Jason  
Colchide servatum quamvis, Martiq; sacratum;  
Dardanidum tulit hic signum Fatale Minervæ  
Qvo Priamiq; domû Trojamq; à culmine sternit,  
Et licet hi splendent propriis virtutibus ampli  
Auxiliaturis tamen ille est artibus usus  
Medæ & sopiit colubrum taurosq; domabat;  
Proditor Æneas Patriæ atq; Antenor, Ulysses  
Palladio Iliacis demto donasse feruntur,  
TE Celebrem dico Dalemam/Tu namq; coruscas  
Virtutum studiis, Fama Musisq; benignis,  
Martyrium tradis Sophies tentamine docto  
Ardua sic superans Parnassi culmina veri,  
Non clamas: Faveas, Nostrisq; laboribus adsis,  
Ænea, Circe Medea aut quilibet alter.  
Hinc Gemmis Lauro palmis victricibus atque,  
Jam te pro sequitur Musarum Numen Apollo  
Nunc Fructus cernis, quos dat Tibi Musa laborû,  
O per quam Felix Dahlmanno ascensus ad alta  
Contigit in Terris, posthac simul astra tenebis!

AND. KYANDER, Ev. Ministr:

De  
MARTYRE PHILOSOPHIÆ  
graviter differenti,  
Clarissimo & meritissimo  
DN. NOTARIO CANDIDATO,  
Gratulatio,

**G**ens cui moris erat jurare in verba Pa-  
troni,  
Tam præstans curâ quam pietate fuit;  
Nam devotus erat solduribus immemor aure  
Vitalis, Domino dum modo ferret opem:  
Ut honor est vivum virtute parasse coronam,  
Sic quoque Martyrium leta corona beat.  
Sic pugilis lapsi pugnat pro parte sodalis  
Ut ponat victo digna brabea suo;  
At si lethali peteretur vulnere & ipse,  
Martyrium mansit culta corolla tamen,  
Inde videre mihi videor Tritonia Diva  
Ludicra quod cupiat jam reparare sacra,  
Hos legit athletas quos scit didicisse labores  
Et pallente gena non metuisse neem.  
Rescierat credu Mavortis scenica seva  
Quæ rigidi Sueones feruida corda litant.  
Hinc

Hinc & Bellonam se prestat diva Minerva,  
Arte in Phœbeâ fortia facta gerens,  
Et manus alma vibrat viridâtis vimina laurus,  
Denotet ut strenui fata virere viri.

Primipilus eris Dalmian sub Gorgonis um-  
bra,

Ut Martyr constans, Hoplomachusque  
simul.

quam deproperabat amica  
manus

M. ALOPÆI.

---

Eidem :

Fonte Caballino cum non mea labra rigarim,  
Deficit hic carmen, quo tibi digna canam  
Ordine procedis Dalmanne future Magister,  
Hunc fructum meruit cura laborque frequens  
Post partes artes, post artes scandis in alta  
Calmina Musarum laureaserta petens  
Te DEUS arte gravem, bene multos servet in  
annos

Funera post vireas, detque suprema DEUS!  
Pieridam claro scintilles clarus in horto,  
Et sero Cælis stella corusca mices.

SAM: MOLANDER:

1717. 667